



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Sectio Qvarta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

Maneat igitur, Virum hunc sapientissimum, atque adeò diuino spiritu afflatum Scriptorem canonicum ad æterna laborum suorum præmia cælo adscriptum: restat vt postquam sapientissimis eius scriptis applausimus, quem fructum in animis nostris eadem parere debeant, audiamus, & in hoc f. ctu, repudiata inexplibili illâ sciendi curiositate, acquiescamus.

SECTIO QUARTA.

ECCLESIASTES.

VERSUS II. Verba sapientium sicut stimuli, & quasi clauis in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno.

12. His ampliùs fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequensque meditatio, carnis afflictio est.

METRICA PARAPHRASIS.

Si tibi virtus monet alma curas,
 Arrige acclinem sapientis aurem
 Vocibus. Nil sic anime superni
 Nectaris mulcet cupida palatum,
 Virginis non sic populator aure
 Ales Hyblei pretium laboris
 Florei stillat nemoris rapinam,
 Fercla Magnatum sapido liquore
 Condiens. Non sic hebetes ocellos
 Jonathas victor renouauit hantus
 Melleæ Solis lacrymæ, expetitur

M m m m m

Lumen

Lumen ut menti sapientis agræ
 Verba discussis reparant tenebris:
 Nec boues tantis resides adurget
 Pronus in plagas stimulis arator,
 Pectori quantos Sophiæ remisso
 Subdit hortatus, Caue ne increpantem
 Aure succusâ fugias: inherent
 Spicula imis flexanima medullis,
 Corda caelesti populari que flammâ,
 Igneos dorso veluti Pyrachmon
 Orbita clauos adigit frequenti
 Verbere: aut qualis nemora inter alta
 Cressus pastor tigridem sagittâ
 Figit incautam; volat illa siluis
 Abta Dyctæis, laterique inheret
 Missile ferrum.
 Ac licet multi Sophiam magistri
 Cordis instillent penitis medullis;
 Profluunt vnâ latices scatebrâ.
 Ac velut præses, Sophiæ Minerua
 Ense diffisso Iouis è cerebro
 Fabulis nata est galeata virgo;
 Sic ab aternis adytis, sinuque
 Numinis promunt documenta vite,
 Quotquot informes varias per artes
 Excolunt mores generis Promethei.
 His prius nil tu potiùsve ducas
 Nate, nil ultra sapere allabores,
 Neu vagum scriptis animum fatiges.
 Helluo quisquis fuerit librorum,
 Emulos natis Danaï labores
 Stultus exhaurit, iuga perque montis

Sisyphi saxum sine fine voluit.
 Copia escarum stomachum fatigat:
 Dumque congestis dapibus laborat,
 Vna funesto perit agra tabo,
 Mensque fatiscit.

PROSA EXEGESIS.

MAGNUM procul dubio intemperantis animi vitium est, inter libros helluari: & quemadmodum in comestationibus fieri solet; stultum est pro voluptate nauseam, pro alimento ventris saburrâ, pro sanitate morbos referre. Fastidientis stomachi est, multa degustare, & per plura Scriptorum genera vagari, quàm possis in succum sanguinemque conuertere. Neque potest prodesse cibus, aut corpori accedere, qui statim sumptus emittitur: quod necessum est illis euenire, qui desultoriâ quadam sciendi curiositate auidius omnia quàm constantius delibant; neque vllius ingenio se familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt. Deinde nihil solidum esse potest, nihil stabile in diuersa studia distractis. Infinitus est librorum numerus, ait Hugo Victorinus; tu noli sequi infinita: vbi enim finis non est, nec esse quies potest. Rectè etiam Venerabilis Blossus, Lectio, inquit, incerta & erraticâ spiritum magis dissipat quàm promouet.

Quare idem sub nomine Dacryani Abbatis opportunè monet: Animum ad certam lectionem prudenter constringe, & in eâ immorari consuesce; etiamsi aliquando minùs sapiat. Virorum est, fructu potius delectari, quàm gustu; nec acerbâ etiam aut aceriâ, dummodò ad salutem conducant, aspernari.

Intemperantia studiorum noxia.

Hugo Victorinus
 l. 5. Erudit.
 didasc. c. 7.

Blossus
 Paradif.
 animæ, p. 1.
 cap. 16.
 Idem Speculo
 Monachorum.
 Cetera le-
 ctionis
 fructus
 querenda.

1166

M m m m m 2

Infanti

Marialis
lib. 7. E-
pigr. 24.

*Infanti melomela dato, fatuasque mariscas,
Nam mihi quæ nouit pungerè chia sapit,*

ait Poëta.

*Stulticia
eorum qui
volupta-
tem potius
quam fru-
ctum in
studiis
quarunt.*

Hoc tamen alterum vitium est nimisquam frequens inter librarios istos helluones, vt omne studium suum ad voluptatem potius & oblectationem referant, quam ad veram virtutem atque sapientiam. Quo fit, vt studiosâ quadam luxuriâ nihil in verbis præter amœnitatem & flosculos, nihil in rebus præter stultam curiositatem nugasque consecretur.

Videas quosdam ætatem rerere Græcis fabulis euoluentis, nec vllum iis pabulum esse gratius, quam si Neptunum inuenerint à Laomedonte mercede fraudatum, Castores alternâ morte vitam alteri instaurantes, Iouem tunc in cygno Ledaë fucum facientem, nunc in cuculo fugæ ignominiam tegentem. Tum verò quantum eruditionis se consecutos existimant, si lectisternium Cæteris inuenerint, vt, excussis puluillis, obdormiscat suauius; si lauacionem Matris Pessinuntiaë, aquæ scilicet & cineris affrictu; si mulieres in Capitolio Iunonem inani gesticulatione comentes, aut alias eius generis quisquillas? Quid quòd nonnulli se supra ceteros sapere existimant, si disputauerint, an primus nauali prælio Duilius vicerit, primusne Curius Dentatus in triumpho duxerit elephantos, an Thebæicum epos Stætius agone Capitolino commiserit, & in eo succubuerit, Athenæum locusne fuerit studiis sacer, an Palatini Apollinis templum, ceteraque eiusdem fursuris?

*Stulticia
eorum qui
verbis pa-
rius quam
rebus ac-
cedunt.*

Nec in verbis minor studiorum intemperantia, dum nihil fastidiosius illis ingeniis placet, nisi quod exquisitæ Latinitatis fucò oblitum, aut eloquentiæ prestigiis est expoliturum. Itaque displicet illis simplex veritatis candor:

dor: in huius temporis Philosophis ac Theologis barbariam, in Asceticis styli neglectum & abiectio-
 criminantur. Quinetiam sacrae Litterae propter incom-
 ptum dicendi genus ipsis vilescunt; &, quod de seipso
 quondam Romanis litteris ac Graecis fabulis immer-
 so scribit Augustinus, indignae videntur quas Tullianae di-
 gnitati comparent. Nimirum ad pompam & splendo-
 rem omnia referunt, non ad morum conformationem;
 ad palati saporem auriumque titillationem, non ad ani-
 mae medicinam; ad fumos & umbras, non ad veritatem.

August. l. 3.
 Confes. c. 5

O stulti! non haec sunt quibus acquiescendum esse
 monet Ecclesiastes, sed *verba sapientum* nobis vult esse
 commendatissima, penitusque cordibus infixata, quae pau-
 lo antè vocavit *sermones rectissimos & veritate plenos*.
 Hoc est solidum mentis nostrae pabulum, quocumque
 demum condimento proponatur: hic fructus exquisitif-
 simus, quibuscumque demum frondibus vestiatur: hic
 nobis curae debet esse & cordi, de ceteris minùs labo-
 randum. Memento, inquit Blossius, salutem animae non
 in eloquentiâ, neque in venustate sermonis sitam esse.
 Quare Orationis ornatum inter legendum ne intempe-
 stivè requisieris, si absit; neque rursus temerè respue-
 ris, si adsit: sed omnia quae bona & utilia sunt, siue
 simplicibus & rudibus verbis, siue cultâ & eleganti di-
 ctione enuntientur, cum gratiarum actione excipe. Qui
 verborum lenocinia potius quàm sententiarum fructum
 spectant, similes prorsus sunt iis, qui aut pro ceruis pa-
 piliones venantur, aut pro pomis folia & quisquillas
 colligunt. Ethnici qui humilitatem Evangelicam igno-
 rant, magnificent & admirentur eloquentiam: Christia-
 ni commendent & amplectantur vitae sanctimoniam.
 Haecenus vir ille sanctus.

Solida do-
 ctrina po-
 tius qua-
 renda quàm
 verborum
 sterculi.

Bloss. in Pa-
 raphrasi ani-
 mae. p. 1.
 cap. 16.

M m m m m 3. Ad

*Sapientum
monita ad
virtutem
impellunt.*

Ad hanc vitæ sanctimoniam morumque conforma-
tionem vehementissimè nos impellunt verba sapien-
tium, seu viuâ voce prolata, siue scripto consignata.
Verba enim sapientum sicut stimuli, inquit Ecclesiastes,
& quasi clavi in altum defixi. Quibus verbis non tan-
tùm eorum vis & efficacia in permouendo, sed perti-
nax quædam in perurgendo constantia designatur.

*Sapientum
verba sunt
efficaces
stimuli.
2. Esd. 8, 9.*

Et quidem quod ad efficaciam attinet, quantos ani-
morum motus in populo Iudaico fuisse concitatos ac-
cepimus, cùm Esdrâ contribulibus suis diuinos codices
prælegente, magno suo mœrore didicerunt, quàm longè
à diuinæ legis præscripto aberrassent? quantus omnium
ardor extitit vitam suam ad hanc normam diuinitus si-
bi traditam exigendi? Quid Magnum Antonium com-
memorem? qui vnicâ illâ Christi voce, & quidem è
scripto prolata, *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes,*
& da pauperibus, & veni, sequere me, ita fuit extimula-
tus, vt è vestigio rebus humanis nuntium remisit, &
in vastam solitudinem sese abdiderit.

*Athan. in
Vitâ Anto.*

*Matth. 19,
21.*

*August. l. 8
Confess.
cap. 6. 8.
& 12.*

Neque Antonium tantùm pupugit hic stimulus, sed
per eius latus etiam pectus aulici illius Theodosij Impe-
ratoris confodit: qui suspiciens generosam Antonij in-
dolem tam promptè diuinæ voci obtemperantis, oculis
in amicum coniectis, Dic quæso te, inquit, omnibus istis
laboribus nostris quò ambimus peruenire? Maior ne
esse poterit spes nostra in palatio, quàm vt amici Impe-
ratoris simus? Et quid non ibi plenum periculi? Et
quando istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce
nunc fio. Nec mora, dum reddit oculos paginis, nouæ
vitæ parturitione turgidus, mox discreuit decreuitque
meliora.

Neque hic finis efficacix diuini verbi. Dum hand
morum

inorum conuersionem Augustino narrat Potitianus, ille vultu ac mente turbatus, seque ipsum & socordiam suam accusans, inuadit Alipium, & complofis manibus exclamat: Quid patimur? quid est hoc? quid audisti? Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine? Quid multa? Et ipse librum arripit, & vnicâ Pauli sententiâ compunctus, morti moritur, & vitæ viuere incipit; abruptaque tam lentâ ac somnolentâ cunctatione, totum se Deo tradit. En stimulos.

Vultis & clauos in altum defixos? dabo sapientium voces ita penitus animis infixas, vt euelli numquam poterint, sed pertinaci impulsu, seriatimque compunctione tandem de corde, quamuis duro planeque adamantino, triumphauerint. Scio peruicacem esse pæneque insuperabilem quorundam flagitiosorum obstinationem: sed & hoc scio, plus ad expugnandum hunc rigorem posse *verba sapientium, que per magistrorum consilium data sunt à pastore vno*, id est, à Deo variis magistris ac sapientibus ad salutem mortalium communicata. Possunt quidem illi diuinis vocibus obluctari, & in spiras ac volumina se torquere, vt vim diuini verbi aut discutiant, aut eneruent,

*Sapientium
monita ce-
nacia sunt
instar cla-
uorum.*

*Ut Phæbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum;*

Virg. lib. 6.
Aeneidos.

sed, premente ac pungente Deo, frustraneus est omnis eluctandi conatus: nam

*Tantò magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.*

Magnos aliquando & acres omnino stimulos ad Christi fidem veramque pietatem expertus est Saulus, siue

siue beati Stephani disputationibus conuictus, siue beati Barnabæ cohortationibus excitatus: ille tamen præfractō animo & contumaci tamdiu Deo restitit, donec fulmine in terram prostratus, hanc Christi exprobrantis

Actor. 9, 4. vocem audiuit, *Saule, Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

Platus de
Bono statu
religiosi
lib. 3. c. 38.

Alium non absimilis contumaciæ proponunt nobis Annales S. Dominici: qui cū deliciis eneruatus, totum se vitiis tradidisset, nec vllum sibi de vitæ reformatione verbum fieri pateretur, Religiosus quidam comiter eum inuisens, ad extremum in digressu vnicū illum ex Prophetâ versum protulit: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Qui versus ita eum pupugit, vt iam nihil aliud animo voluere posset, quàm illos vermes & illas tineas. Quin etiam, cū variis molestam hanc cogitationem ludis fallere, & æquialium solatiis abstergere conaretur, ita nihil proficiebat, vt potius magis ac magis hic clauus infigeretur. Quare hoc secum reputans, Si ipsa cogitatio illius pœnæ tam erat intolerabilis, quantò intolerabilior futura esset ipsa pœna, cessit aliquando tandem, manusque Deo dedit.

Isa. 14, 11.

En stimulos, en clauos, quos verba sapientum cordibus humanis infigunt: sed quæ infigunt vulnera salutem spectant, non interitum, illis sagittis quàm simillimi, quibus magno suo bono se faucium fuisse scribit diuus Augustinus. Sagittaueras, inquit, tu Domine cor nostrum charitate tuâ, & gestabamus verba tua transfixa visceribus: & exempla seruorum tuorum, quos de mortuis viuos feceras, congeſta in sinum cogitationis nostræ, vrebant & absumebant grauem torporem nostrum, & accendebant nos validè.

August. 1.
Confess.
cap. 2.

Huiusmodi stimulos cū hoc libro non paucos cuius

uis

uis animæ, virtutis ac sapientiæ cupidæ, subiecerit Ecclesiastes, concludit his verbis: *His, fili mi, amplius ne requiras.* Est enim modus in rebus. & quemadmodum in corporis alimento, sic in animæ pabulo vitanda est nimia constipatio: & rursus quemadmodum in bonis fortunæ, ita etiam in spiritualibus documentis animæque diuitiis modus aliquis definiendus est, quem si transgressus fueris, ad infinitam deuolueris cupiditatem. Rationem vtriusque communem assignat Lucilius:

*Nam si, quod satis est homini, id satis esse potisset,
Hoc sat erat: nunc cum hoc non est, qui credimus porro,
Diuitias vllas animum mi explere potisse?*

*Lipius in
Comment.
ad Epist. 3.
Senecæ.*

Verbo dicam. Cui, quod satis est, satis non est, nihil illi satis est. Videamus igitur ex his omnibus, quæ satis esse, & in quibus nos acquiescere desiderat Ecclesiastes, quem potissimum clauum ac stimulum ad veram sapientiam nobis inculcet, penitusque memoriæ nostræ velit infixum.

SECTIO QUINTA.

ECCLESIASTES.

VERSUS 13. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo:

14. ^a & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium ^b pro omni errato, siue bonum, siue malum illud fit.

a *Varia Lectiones habent nam vel quia*
b *Hebr. pro omni occulto,*

Nnnnn

ME-